

CARMINA GRATVLA-
TORIA.

IN NOVVM

HONOREM, PIETA-

TE, DOCTRINA ET VIR-

tutibus ornatissimi viri AMBROSII

RIEHELII Quedelburgensis, cum ei in

celeberrima VVittebergensium Academia

V. Iduum Septembris, anno CHRISTI

CIO IO LXXX. à clarissimo ac doctis-

simo viro BALTHASARE MEN-

CIO liberalium artium Magistro, & col-

legij Philosophici Decano spectabili,

summus in Philosophia gra-

du decerneretur.

Scripta

ab vno atque altero amico.



VVITTEBERGÆ

In officina Iohannis Lufftij.

M. D. LXXX.

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT
LEIPZIG
BIBLIOTHEK
VERLEIH
M. N. 1234
1950



Magna Poetarum laus est benè ludere versu,
Maiores res numeris inseruisse graues:
Neutrum si præsto, placeat tibi velle sodalis,
Velle bonum finem sæpius assequitur.
Omnia conando quod si solertia vincit,
Me tentasse nec hæc pœnituisse potest.
Est parui precij fateor mea musa, sed æquè
Respice quam mentem noueris ante diu.
Clara salinarum dùm nos schola saxonicarum
Iungeret, hæc nobis culta magistra fuit:
Riuus hanc olim rexit celeberrimus arte,
Et Graia lingua magnus & Ausonia.
Hinc benè progressus maiora prioribus audens
Directo gaudes altius ire pede:
Ex patria bis te studiosa reduxit Athenas
Saxonicas, pallas de Ioue nata Dea:
Eia age susceptum studiorum perfice cursum,
(Inquit) multa ibi sunt expedienda tibi:
Vt varios motus astrorum inquirere, causas
Discere naturæ, viuere nosse benè:
Addidit: auxilio te consilioq; iuuabo,
Arte mea ô iuuenis commoda multa feres.
Hæc mandata sequi, nec contemnenda putasti
Parcendumue tuis viribus ingenij:
Hæc tibi cura fuit, teq; has foeliciter artes
Et sophiæ partes perdidicisse iuuat.

A ij Accipis

*Accipis ergò tui promissa immota laboris,
Et fertus cingit docta Minerva caput.
Qui studet Hesperij superare cacumina montis
Indutus spolijs talibus inde redit:
Ampla Magisterio debetur gloria, nempè
Arx est Musarum qua residere decus:
Cuius sint curæ tibi propugnacula veri,
Contendas ex his pellere mota dolo:
Non aliter quam si cordatus miles in armis
Hosti se opponit, nulla pericla timens:
Sed pro aris, patrijsq; focis pugnare meretur,
Publica pax vt sic restituatur agit:
Sic assertores veri sint, sic tueantur
Verum, qui gaudent huius honore gradus:
Nil falsi admittant, sed veris falsa retexant
Integer vt maneat religionis honor.
Hoc incumbit idem tibi: sed nunc accipe scriptum
Quo precor eueniant optima quæq; tibi.
Laudis habet mea musa parùm, nec vena poetam
Arguit, ex animo sed fauet illa tibi:
Qui condiscipulus fueras, conuictor, amicus
Es nunc, esse tuum me patiare, rogo.*

Nicolaus Agricola M.

O Vir docte, tui genitoris gloria chari,
O & Peonij fama decusq; chori:
Cum perspecta mihi tua sit celeberrima virtus,
Quam confert Claris Clara Minerva viris.
Non potui meritos tibi quin gratarer honores,
Quæis auxit nostræ te sacer ordo scholæ.
Scilicet hoc præstans meruit tua florida virtus,
Ingenij hoc splendor dignus honore fuit.
Non etenim spissis virtus absconditur umbris:
Famaq; Meonides quam peperere Deæ.
Sed nitet & sursum tendit super æthera: sicut
Proditur indicio lucida flamma suo.
Præsciens Æacides fati sua corpora prudens
Virginea voluit dissimulare stola.
Non animum potuit cultus mutare virilem:
Sponte sua virtus nam speciosa micat.
Instrumenta videns belli Peleia virgo
Hastam virtutis, Martis & arma decus.
Continuò illa capit versans sibi cognita, Achilles,
Qui fuerat virgo, postmodò miles erat.
Sæpè premit multos, veris virtutibus obstat
Ingeniosa hominum vertere Diva uices.
Et tamen illius non est vis tanta nocendi,
Quò minus inceptum perficiatur iter.
Vincit amor recti Divam, & caput exerit altè,
Ut color evicta laude triumphat equus.

A ij Felix

Felix hunc didicit qui sustinuisse furorem,
Et scandit Clario templa sacrata Deo.
Scilicet hic opus est animis multoq; labore,
Hic certum est nulla tædia ferre mora.
Virtus sudori comes it, sequiturq; laborem
Gloria, Nestoreos vivere digna dies.
At qui desidiam sequitur, sua commoda vitat,
Quæ venit ingratis, gloria rara venit.
Hunc tu RIEHEL I vicisti ritè laborem
Ardua Parnassi scandere digne iugi.
Iam tua se virtus, studiorum, sedulus ardor
Exerit, atq; animi candor & ingenij.
Est aliquid claras caput exeruisse per artes
Atq; simul linguas edidicisse duas.
Nam veluti, vicit fausto cùm Marte, labores
Miles ob exhaustos leta trophæa capit:
Sic tua cinguntur frondenti tempora lauro:
Laurus victurum nomen honosq; parit.
Ut dedit Æacidæ parmam Laërtius heros
Misit & invictum fortia ad arma caput:
Sic te laude beat multa vir laude vehendus (rens.
MENCIV S ex hederaserta virente fe.
Sic te fronde beat, dedit vt parmam ille petenti:
Scilicet vt meritis clarus vterq; foret.
Saxa ferasq; loco traxit Threicius Orpheus
Dulcisonæ Citharæ fretus & arte lyræ.

Hic


Hic quantum Cithara, tantum valet ille Minerva
Intexens capiti florida ferta tuo.
Ergò Magisterij titulum tibi gratulor, atq;
Gratulor ingenium non latuisse tuum.
Et precor vt summus rex omnia numine firmet,
Vt bona sors titulo subsit & ampla novo.
Quò tua venturos tibi gloria crescat in annos,
Et cedant studijs omnia fausta tuis.
Sed quoniam tenuis merita præconia laudis,
Parcior in laudes est mea Musa tuas.
Quod si culta minus nostræ sunt carmina Musæ
Iudicio tamen hæc adfero pauca tuo.
Nostra tibi placeat quæso officiosa voluntas,
Hac saltem cupio parte placere, vale.

Iohannes Albinus Quedel
burgensis.



Hic quantum dicitur, tantum dicit ille Minerva
Interius capite horida serena
Ergo magister, talem tibi gentem, ut
Gentem ingenium non latuisse tam
Et precor ut summas rex omnia nunc formet
Nobis fors incho fides, angustia nos
Quo in venturo tibi gloria crescat in annis
Et cedant illis omnia fastidia
Sed quoniam tenuis meritis precor in laude
Pacior in laude est mea Musa tuas
Quod si cuncta minus nostris sunt carmina Musa
Iudicio tamen hoc adfero paucior
Nosse tibi placet, pro officio voluntas
Hac saltem cupio parte placere vale

Johannes Albinus Quedlinburgensis



Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindermeister
Merseburg a. S.

VDA 7







XVII

25

CARMINA GRATVLA-
TORIA.

IN NOVVM
HONOREM, PIETA-
TE, DOCTRINA ET VIR-
tutibus ornatissimi viri AMBROSII
RIEHELII Quedelburgensis, cum ei in
celeberrima VVittebergensium Academia
V. Iduum Septembris, anno CHRISTI
CIO IO LXXX. à clarissimo ac doctis-
simo viro BALTHASARE MEN-
CIO liberalium artium Magistro, & col-
legij Philosophici Decano spectabili,
summus in Philosophia gra-
dus decerneretur.

Scripta
ab vno atque altero amico.



VVITTEBERGÆ
In officina Iohannis Lufftij.

M. D. LXXX.